

## 1535 març 12. Casa del Consell General

*Els representants del Consell General de les valls d'Andorra nomenen Guillem Regí, de Soldeu, parròquia de Canillo, i Antoni Pont, de les Bons, parròquia d'Encamp, procuradors seus en els litigis que puguin enfrontar les Valls amb els arrendadors i col·lectors del passatge de la treta forana dels llocs d'Acs, Siguer i Vicdessos i amb altres persones per la dita raó, els quals s'hagin de resoldre davant la cúria del senescal i dels jutges majors de Foix, dels seus lloctinents o altres oficials.*

[O]. Original no localitzat. — R. Nota de llibre notarial, Andorra la Vella, ANA, TCN, núm. 130, fols. 97-98.

a. PUJAL; LLADÓS, *La Domus*, pàgs. 142-143.

In Dei nomine. Noverint universi quod nos, Botholomeus Casal loci de Canillo, Bernardus Ponsarnaut loci de Prats, consules, Petrus Martir Viciat loci de Merixell, consiliarus parrochie de Canillo, Bernardus Plan loci del Vilaró, consul, Anthonius Rossell, de Ordino, et Ioannes Cella, de Lors, consiliari parrochie de Ordino, Ioannes Capella loci del Puy, Anthonius Torner, del Puyol, consules, Petrus Martir Rull, de Sespony, consiliarus parrochie de la Massana, Raymundus Ribot loci d'Angordany, Ioannes Guillermus Dolsa loci Sancte Columbe, consules, Iacobus Cases mansi del Fener, Bortholomeus Guiem loci d'Angordany, consiliari parrochie Andorre, Anthonius Thor, de [Vexasarri], consul, Gaspardus Migavila loci de Certés, et Salvator Guisalt loci de Cirovall, consiliari parrochie Sanct Iuliani de Lòria, omnes predicti convocati et congregati ad sonum campane in loco Andorre et in Domo Consilii dictarum vallium Andorre ad tenendum Consilium Generale dictarum Vallium, prout iam alias pro similibus negociis solitum est Consilium Generale tenere et celebrare. Omnes predicti Consilium Generale facientes universitatesque et singulares dictarum vallium Andorre representantes, omnes predicti concordantes et nemine discrepante, gratis et ex nostris certis scienciis, nominibus nostris propriis universitatumque et singularium dictarum vallium Andorre, facimus, constituimus, creamus et solemniter ordinamus syndicos, actores et procuratores nostros universitatum et singularium dictarum vallium Andorre vos, honorabiles Guillermum Regí loci de Soldeu, parrochie de Canillo, et Anthonium Pont loci de les Bons, parrochie d'Encamp, presentes et onus huiusmodi sindicatus et procure in vos et utrumque vestrum insolidum sponte suscipientes. Ita quod primi occupantis

conditio potior non existat sed quod per unum vestrum inceptum fuerit per alium mediari valeat prosecui et finire, videlicet ad ducendum, tractandum, procurandum et fine debito terminandum omnes et singulas causas sive lites, tam principales quam appellatorias et tam motas quam de cetero movendas, inter dictas universitates et singulares dictarum vallium Andorre agentes vel deffendentes ex una parte et arrendatores, collectores, receptores et custodes ach quoscumque perturbatores passagii de la treta forana locorum de Ax, Siguer y Vich de Sòs et alias quasvis alias personas agentes etiam vel deffendentes parte ex altera, tam ratione et occasione dicte treta forana dictorum locorum quam nuch petunt dicti arrendatores, collectores, receptores et custodes quam ea que a publicatione certii privilegii dicte treta forana, quod nos, dicta universitas et singulares dictarum vallium Andorre a illustrissimo rege Navarre, Fuxi comitte, condomino dicatrum vallium Andorre de novo inpetrabimus, capta sunt per supradictos arrendatores, collectores, receptores et custodes petere et pro premissis et eorum occasione habere et recuperare, tam in curia domini senescalli et eorum iudiciis maioris Fuxi comitatus seu suo locumtenente quam etiam in quibuscumque aliis curiis et coram quibuscumque officialibus, iudicibus et personis, tam ecclesiasticis quam secularibus, pro nobis et dictarum universitatum et singularibus eiusdem dictarum Vallium, standum et comparendum, de iureque nostro et dicte universitatis et singularium de eadem docendum et monstrandum iusque et de iure super bonis nostris et dicte universitatis et singularium eiusdem firmandum et pro ipsis firmis omnia et singula bona nostra et cuiuslibet nostrum et dicte universitate et singularium de eadem absencium, presencium et futurum obligandum; libellum et libellos, petitiones et demandas dandum et offerendum; clama, retroclama faciendum et exponendum; littem seu lites contestandum necnon agendum, respondendum, deffendendum, excipiendum, proponendum et repliandum ach ponendum et articulandum de calumnia et aliter in animas nostras et singularium dicte universitatis iurandum et, ab adversa parte, iurari petendum et videndum; testes, instrumenta, provisiones et alia probacionum genera in iudicio et extra producendum, protestandum et publicari petendum et faciendum; crimina, defectus et alia opponendum, disputandum et allegandum, renunciandum et concludendum in causa seu causis et omnia que in littem fiere requirantur faciendum; sentenciam et sentencias, tam interlocutorias quam difinitivas audiendum et ab ipsa vel ab ipsis a quibusvis gravaminibus et processibus, si vobis dictis sindicis seu altero vestrum bene visum fuerit, appellandum et supplicandum; apostolos petendum, recipiendum et presentandum et appellationum, supplicationum ach reclamacionum prosequendum et finiendum, et sentenciam seu sentencias que pro nobis

et dicta universitate late sunt seu [fecerint] petendum et debite executioni mandari faciendum, protestandum quoque requirendum et movendum, et protestatis monitis et requisitis ex adverso respondendum; instrumenta appellacionum et supplicationum fieri faciendum et habendum et ea presentandum; iudicem et iudices impetrandum et ab adversa parte impetratos et suspectos et alias recusandum suspicionum; causas allegandum et probandum; sindicum et syndicos, actores et procuratores, unum et plures, substituendum et eum vel eos destituendum et revocandum et quando vobis, dictis sindicis, seu altero vestrum videbitur fieri et expediri; et generaliter omnia alia et singula faciendum pro nobis, dictis constituentibus et singularibus dicte universitatis, super predictis et circa et dependentibus seu emergentibus ex eisdem ach eisdem adherentibus et connexis et ea tangentibus quoquo modo quecumque sint ad hech utilia, necessaria ach etiam oportuna et que nos, dicti constituentes, universitas et singulares dictarum vallium Andorre, facere possemus si personaliter in predictis essemus. Et volentes vos, dictos syndicos, actores et procuratores nostros et substituendum vel substituendos a vobis, super predictis relevare indempnes ab omni onere satisdandi etiam si maiora, graviora seu duriora fuerint superius expresatis. Nos enim, dicti constituentes, nominibus nostris propriis et dicte universitatis et singularium eisdem, comitimus vobis dictis sindicis, procuratoribus et actoribus et unicuique vestrum et substituendum vel substituendos a vobis super predictis omnibus et singulis et super dependentibus seu emergentibus ex eisdem et ea tangentibus quovis modo plenarie vices nostras et dicte universitatis et singularium eisdem plenam, liberam et generalem administracionem cum plenissima facultate et potestate comittimus. Et promittimus nos, dicti constituentes, nominibus nostris propriis et tocius dicte universitatis et singularium eiusdem vobis, dictis sindicis, actoribus et procuratoribus et notario etiam infrascripto, tanquam publice persone hech pro vobis et aliis etiam personis omnibus et singulis quarum interest, intererit recipienti, paciscenti ach etiam legittime stipulanti, nos semper habere ratum, gratum, validum atque firmum omne id et quicquid per vos, dictos syndicos, actores et procuratores nostros et substituendum vel substituendos a vobis supradictis omnibus et singulis et super dependentibus seu emergentibus ex eisdem pro nobis et dicta universitate et singularibus eiusdem procuratum et actum fuerit sive gestum et nullo tempore revocare sub ypotece et obligacione omnium et singulorum bonorum nostrorum et cuiuslibet nostrum insolidum et dicte universitatis et singularium eiusdem mobilium et immobilium, presencium et futurum. Et pro maiori corroboracione predictorum iuramus in animas nostras et singularium eiusdem universitatis per dominum Deum et eius sancta quatuor Evangelia,

manibus nostris et cuiuslibet nostrum corporaliter tacta, sub omni et utriusque iuris renunciacione ad hech necessaria qualibet pariter et cautela.

Actum est hoc in Domo predicti Consilii, die duodecima mensis marcii, anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo trigesimo quinto.

Sig+++++na nostrum Botholomei Casal, Bernardi Ponsarnaut, Petri Martiris Viciat, Bernardi Plan, Anthonii Rossell, Ioannis Cella, Ioannis Capella, Anthonii Torner, Petri Martiris Rull, Raymundi Ribot, Ioannis Guillermi Dolsa, Iacobi Cases, Bortholomei Guiem, Anthonii Thor, Gasparis Migavila et Salvatoris Guisalt predictorum, qui hech, dictis nominibus, laudamus, concedimus, firmamus et iuramus.

Testes huius rey sunt: Stefanus Staynas et Giraldu Bonas, sartores, ambo loci de Monvert, diocesis Sancti Flori, nunc habitatores vallium Andorre<sup>1</sup>.

1. *Document barrat amb tres línies verticals que indiquen que es va fer la redacció en pública forma.*